

*opifex posuit. Quis vero ambigat, strenue atque acriter pro christiana religione, pro hac veluti communi patria servanda laborantes, ingentia præmia vel cælo, vel terra manere? In vos, strenui milites, omnium oculi atque ora obversa sunt, tantæ rei exitum singuli expectant; nobilissimi istius regni, reipublicæ christianæ incolumitatem in dextris vestris positam intelligunt. Si qua ex Leucosiæ amissione nota christianæ militiæ inbæsit, eam vos hostium sanguine deleturos sperant. Vosne Italos appellem, atque ad egregiam istam laudem hortor, qui, patria ac domo relictis, tanto studio ad defendendam hanc urbem convenistis? quique patrio militiæ decore ad præclara quæque agenda incitamini? An vos, quos omnium artium fecunda Græcia genuit, persuadeam, quibus priscus gentis splendor, majorum gesta, quæ superioribus tempestatibus illustrium ingeniorum calamos defatigavere, faces ac stimulos addunt? Unum in singulorum animis vincendi studium; unum in corporibus robur; una victoriæ spes vos obarmet: non insolens recenti victoriæ hostis metum incutiat; neque quod modo circumjectum campum tentoriis, litora que navigiis referta inspecturi estis, commoveamini. Ea est enim anni ratio, ut nisi furenti orientali vento penitus sese objicere, ac procelloso mari committere velint, diutius hic commorari nequeant. Si secus faciant, nobis inspectantibus, hosce apparatus disjici, everti, distrabi, elidi iidemmet cernent. Ne vero in iis tentoriis copias ingentes delitescere putetis; cum multi in Leucosia oppugnanda aut ferro, aut morbo perierint; plerique laborum pertæsi, præda onusti classem conscenderint. In Turcis vero, si numerum dempseris, quid pertimescas? non solida virtute, ac militari robore, sed multitudine tantum freti pugnare consuevere. Demum cogitatio non subeat animum, quod insula universa, horum mœnium tantum ambitu excepto, potiantur; cum, hac urbe servata, brevi cuncta in nostram potestatem recasura, inglorique hostes sint discessuri. Fuerint sane, qui Leucosiam egregiis munitionibus prævalidam tam cito a Turcis occupatam admi-
rentur: nos mœnia lateritia lata ac firmissima habemus; turres imminentes fortissimas; quodque magis refert, externum militem usque ad interitum dimicaturum: atque, ut reliqua
deef-*